





11703. V. 13. C. 12

33





DE DOLORE CAPITIS

DISSERTATIO INAUGURALIS,

quam

CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET
DIRECTORIS;

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI,

nec non

CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM

ANTIQUISSIMAE AC CELEBERRIMAE UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS

a d

DOCTORATUM MEDICUM RITE OBTINENDUM

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT


ANTONIUS ZHESNIK

Carniolus Zirkljanus.

Theses adnexae die 28. Maji anni MDCCXXXI publice
defendentur.

VINDOBONAE.

Typis Antonii de Haykul.



ADMODUM REVERENDO
DOMINO
MATHIAE PFEIFER
PAROCHO ARCHENSI

PATRONO ATQUE FAUTORI SUO
MUNIFICENTISSIMO
HOC GRATI ANIMI PIAEQUE OBSERVANTIAE
MONIMENTUM
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE
VINDOBONENSI POSUIT

deditissimus cliens
Antonius Zhešnik.

Dispositio dissertationis.

Quae hic nobis disseruntur, ita sunt digesta,
ut antequam ad dolorem capitis transitus fiat,
pauca quaedam de dolore in genere propo-
nuntur. In exponendo autem dolore capitis
ita versamur, ut praemissa definitione singu-
las species in ordines suos redigamus, atque
sua quibusque speciebus signa et propriam
diagnosin subjungamus. Proprio igitur dia-
gnoseos capite omisso ad ea statim, quae bo-
nos malosve doloris eventus portendunt, trans-
gressi sumus. Unde illud commodi percepisse
nobis videmur, ut ingratae repetitioni super-

sedentes breviores esse possimus. Tandem ad curam doloris capitis devenimus, in qua (fine operis brevitatem exigente) summa tantum capita perstrinximus.

De dolore in genere.

Est dolor quibusdam pathologis tristis sensatio, quam ea ratione mens percipit, ut eam referat ad partem corporis, cui ex causa aliqua, sive externa sive interna, vis praeter naturam infertur; — aliis quidquid animam moleste afficit, angit, vexat, ex corporis dispositione oriundum, quo a pathematis moralibus differt, doloris nomine intelligitur; — aliis nimia sensus communis per organum quodpiam diffusi irritatio, mentem ingrata sensatione exagitans dolor adpellatur; — a qua definitione illa non admodum discrepare videtur, secundum quam *dolor est sensus, mentem graviter afflictans, a violenta nervi irritatione*. Ut enim sensui communi aliqua mutatio inferatur, quae mentem suo modo adficiat, sistema nervorum, materiale sensus communis substratum, per causas quas demum cumque mutari debet. Ut igitur clari viri, tametsi dolorem non una omnes ratione definiunt, in eo tamen convenient, quod cum gravem mentis afflictionem esse atque peculiari, quae sensorio communi aut alicui nervo

per vim aliquam, sive externam sive internam, mechanicam, chemicam aut dynamicam accidat, mutationi organicae respondere putant.

Peculiaris ejusmodi mutatio, quam cerebro aut alicui nervo vis inimica impressit, molestae perceptioni respondens, non raro tanta tamque fixa et inhaerens est, ut, quamquam non cadat in oculos, tamen amota etiam causa, doloris imago superstes animo obversetur: id quod membro aliquo mutilatorum hominum quotidiana exempla commonstrant.

Dolorem autem variis, quibus excitatur, causis et vario, quo eae agunt, modo et gradu mutari, non est, quod hic pluribus declaremus, quippe quod ex generalibus sanae ac morbosae vitae rationibus facile intelligitur.

De dolore capitis in specie.

His igitur praemissis in illis, quae capitis dolorem attinent, dissertatio nostra commodius versabitur, atque (ut a definitione ordiamur) dolor capitis molesta quaedam unctionis, punctionis, scissionis, terebrationis, pulsationis, jaculationis, torsionis, rosionis, strictionis, tensionis, gravitatis vel alius cuiusquam similis sensationis, vel totum caput, vel partem ejus adflicantis perceptio dici poterit.

Praeter eas doloris capitis differentias, quae a modo et ratione sensationis repetuntur, aliae adhuc pathologis utiliter statuuntur, quas partim *a sede*, quam dolor tenet, *superficiali* vel *profundius depressa*; partim *a causis*, quibus excitatur, partim *a morbis*, quos comitatur, repertere consuerunt.

Atque ita habetur dolor capitis *externus*, cui integumenta capitis communia, expansiones aponevroticæ, musculi, nervi, vasa sanguifera, externam calvariae superficiem foventia, sedem praebent; *internus*, qui in ossei craniī superficie-

cie interna, meningibus earumque processibus, sinibus venosis, arteriis, venis meningum et cerebri, in cortice, medulla cerebri, cerebelli etc. grassatur.

Dolorem capit is in externi cranii velamentis haerere commonstrant: causae excitantis natura et agendi ratio; doloris per tactum, pressionem exasperatio; contusio, vulnus, abscessus, ulcus; tumor calidus, frigidus; rubor, calor turgorque topicus; functiones cerebri atque mentis nihil, parum impeditae, hisque accedens aegri indicium: contra cerebri et nervorum functiones turbatae, suspensae; mens dolore stupens; oculi caligantes, lucis impatientes, dolentes, rubore suffusi, lacrimis innatantes; aures tinnientes, strepitum non ferentes; lingua balbutiens; vox intercepta; masticatio, deglutitio difficilis, inhibita; musculi cervicis et mandibulas adducentes contracti, dolentes; tremor artuum; vertigo; delirium; vomituritio, vomitus dolorem intra cranium sedem habere loquuntur.

Est autem, ut supra definivimus, dolor iste, sive externus sit sive internus, modo per totum caput quasi diffusus, quae *Galea* appellatur; modo alterutri lateri, modo etiam loco minori adstrictus, quorum prior *Hemicraniae*, *Heterocraniae*, *Hemipagiae*, *Monopagiae* nomine aucto-ribus venit; posterior, ubi ovi gallinacei magnitudine formaque molestat, *Ovum* dicitur: quum adhuc minus spatium occupans acuti clavi alte desixi speciem quamdam refert, *Clavus*, et quoniam

plerumque feminis hysterics, in supercilio vel in quadam occipitis parte haerens, sensum, qualem frustum glaciei capiti impositum ciet, atque acutissimos et intolerabiles dolores excitat, vulgo *Clavus hystericus* vocatur.

Has fere doloris species a sede ejusque extensione repetere solent. Jam illas, quas a causis, dolorem excitantibus distinguunt, profemus.

Distinguunt autem dolorem capitinis *idiopathicum* et *sympathicum* *), quorum prioris causa semper capiti, posterioris aliis dissitis partibus

*) Sauvages hunc dolorem modo sympathico provocari posse pernegat hac usus argumentatione: »Falsum autem est, inquit, dolores sympathicos tribuendos esse ulli causae, quae sit remota a parte dolente, seu falsum est, ullam causam agere ubi non est; ergo errant, qui causam cephalalgie v. g. stomachicae, in stomacho reponunt: verum quidem est, saepe fieri, ut emetico praescripto illa cephalalgia evanescat, verum inde non sequitur, quod ejus causa fuerit in stomacho; dubium est, num sanguis inspissans et vasa meningum vel cerebri infarciens sit incusandus; num vero inspissatus fuerit ob plenioram, ob saburram, inquirendum restat. Esto, fuerit inspissatus a saburra e stomacho in sanguinis massam transfusa, illa cephalalgia optime discutietur et praecavebitur usu emeticorum, licet principium proximum hujus referatur ad caput, quo dolor etiam refertur. Commotio enim ab emetico facta, potest sanguinem in ipso capite discutere et saburra eliminata futuri dolores simul praecaveri possunt. Qui itaque morbi juxta quosdam sunt sympathici, juxta alios diversa theoria imbutos idiopathici sunt; arbitraria est itaque illa morborum divisione, et a theoria pendens saepius erronea.« Cujus scholae haec argumentatio principia sequatur, quae vera, quae falsa, quae neutra contineat, facile est intelligere.

insidet; *primarium* s. *protopathicum*, qui in homine ex dispositione et potentia nocente concurrentibus recens nascitur, quin cum morbo quodam praegresso cohaereat, et *secundarium* s. *deuteropathicum*, qui ex morbo quodam primario ad certum usque gradum proiecto emergit.

Dolorem capitis duratione quoque temporis, quod percurrit, quidam diviserunt ita, ut recentem, causis manifestis, nec tamen violentissimis excitatum, *cephalalgiam* adpellarent; inveterato autem et pertinaci vehementique totius capitis dolori, qui ab exigua occasione vehementes haberet exacerbationes, *cephalaeeae* nomen imponerent. Stahliani vero cephalaeam a cephalaalgia ita distingui oportere volunt, ut illa dolorem tensivum, spasticum, haec gravativum, qui aliis *carrebaria* est, capitis dolorem significet.

Quum tandem doloris natura pro varia, quem comitatur, morbi indole, sede, complicatione diversa sit atque diversam sibi curam deposcat, alias adhuc, quae his responderent, doloris species proposuerunt, ut sit

Dolor capitis *plethoricus*, quem pulsus rarius, facies turgens, rubens calensque, saepe etiam pallida atque collapsa, gravitas ad frontem, mentis functiones turbatae distinguunt; tractu temporis vertigo, somnolentia excipiunt; vita lauta, dapes ubiores, vini potus copiosior, missum Veneri, cui adsuetus fueris, repudium, iners laboris aversatio etc. excitant; supervenientes hae-

morrhagiae sufficientes, aut sanguinis missiones largiores moderant tolluntque.

Hujus generis sunt:

- a) Dolor capitis *catamenialis* a sanguinis congestione periodica originem ducens, interdum virgines et feminas singulis fere mensibus vexare solet, jam molestus praecursor, jam individuus catameniorum satelles.
- b) Dolor capitis *haemorrhoidalis* viros plerumque infestans, cum aliis affectionibus haemorrhoidalibus: tensione ad os sacrum; tensione, pressione, calore in intestino recto; mictu urente, perinaeo pruriante; facie modo rubra, modo pallida; aestu fugace; oculis lucem non ferentibus; auribus tinnientibus, susurrantibus, strepitus impatientibus; animo dejecto, tristi, moroso; artuum gravitate plumbea; motu difficulti, defatigante — conjunctus.
- c) Dolor capitis *gravidarum* saepe periculi plenus, plerumque ad frontem intolerabilis haeret.
- d) Dolor capitis *rheumaticus, rheumatismus* capitis, plerumque partialis, pungens, tendens, stupefaciens, vagus; motu capitis, sternutatione, tussi etc. dirum in modum exacerbandus; frigoris impatientissimus; non continuus, quippe qui saepissime, ubi in summum vehementiae gradum elatus est, remittit, intermittit, sed aliquo tempore post quasi furiis reffectus denuo intolerabilis tor-

quet; organa digestionis per consensum afficiuntur ita, ut munere suo minus rite fungantur, unde appetitus prostratus, os amarum, lingua spurca, vomitiones plerumque frustraneae etc. Somnus, si quando per dolores conceditur, non reficit; aures strepitus, oculi lucis impatiens dolent.

- e) Dolor capitis *catarrhalis* cum gravitate, temulentia capitis conjunctus, frontalis, cum ceteris catarrhi symptomatis pari fere ratione oritur, augetur, minuitur, evanescit, epistaxi plerumque judicatur.
- f) Dolor capitis *abdominalis*, cuius causa in ventriculo, intestino, hepate, liene etc. haeret, in varias species dispescitur, quas a singulis visceribus morbo laborantibus repetere solent, ut igitur sit
- a) Dolor capitis *gastricus*, *stomachicus*, *sabburalis*, qui a sordibus gastricis, a pastu, aut a crapula plerumque adgreditur, cum nausea, oris amaritie, vomitu, ructu, gastralgia, torminibus, tenesmo, alvi fluxu aliquique gastricismi notis incedit, praecipue anteriores capitis partem occupat, atque vomitu, alisque fluxu sive spontaneo, sive artificiali minuitur, tollitur; ingestis vero esculentis, potulentis etc. augetur, sustinetur;
- β) Dolor capitis *hepaticus*, qui irritationem, inflammationem, suppurationem, indurationem etc. hepatis; quemadmodum ille, qui lievis, renum, uteri ceterorumque viscerum in

imo ventre reconditorum affectiones morbosas, alvi obstipationes etc. comitatur, in alterutro capitinis latere, alterutra regione temporali ferocire solet.

y) *Dolor capitinis verminosus*, qui a vermis in tubo alimentari nidulantibus profluit, ex signis helminthiasi propriis intelligitur, atque medicamentis anthelminthicis compescitur.

Haec doloris cephalici species non debet confundi cum illa, quam vermes vel insectae bestiolae in *caveis narium et sinuum frontalem* rodendo, sugendo vel corpus movendo excitant, quaeque fixa et pervicax, qua radix nasi fronti adnectitur, aut qua alteruter sinuum frontale situs est, manet nullique remedio cedit; quam frequens sternutatio, narium ariditas, pruritus, aut alterutrius uberior humiditas; foetidi inde aut ex ore odoris exhalatio; vertigo subinde recurrentis comitantur. Hujus doloris exempla in diversis medicorum practicorum commentariis passim occurunt.

Vermes autem et insecta vel forinsecus in eas, quas diximus, caveas irrepunt, vel ex ovulis ibidem depositis atque exclusis prodeunt, id quod in brutis animalibus saepissime observatur. Sic e. g. *culex reptans* in caveas narium et sinuum frontale equorum, praesertim in Hungaria, ubi quibusdam annis frequentissimus est, penetrat ibique rodendo et sugendo bestiis tantos dolores excitat, ut rapidissimo cursu, quo sese iis liberent, per campos et silvas ruant, donec exhaustis viri-

bus concidant, aut in lacubus fluminibusve, ubi nonnumquam furentibus similes doloris levamen quaerunt, aquarum vi suffocentur. Quo qui equorum greges alunt, magnam saepe jucturam fecerunt et adhuc faciunt. Sed ad propositum revertamus.

2. Dolor capitis *nervosus*, jam acutus, jam obtusus, terebrans, tendens, vagus, plerumque repente impetit, evanescit; saepe certas periodos obire, ad suturam coronariam, ad sinciput adstrictus, cum spasmis, convulsionibus, vomitu consensuali conjunctus esse solet. Hujus species sequentes distinguuntur: dolor capitis *hystericus*, *hypochondriacus*, *melandolicus*, quorum primus cum ceteris iisque diversissimis hysteriae symptomatis feminas teneras, acrius sentientes functionis, tensionis, vulsionis, frigoris sensu discruciat; alter viros hypochondriacos torquet; tertius melancholicorum molestias auget.

3. Habent dolorem capitis, quem *acrimoniis* in organismo humano generatis originem debere putant, cujusque hae fere species propoununtur:

a) Dolor capitis *arthriticus*, *cephalagra*, arthritidis sive regularis, sive anomalae symptoma. Prior statis temporibus, febris inflammatoriae signis notatus, molestare, per crises solennes judicari perfectasque intermissiones celebrare: posterior nulli tempori, nulli symptomatum ordini adstrictus, sine febri incedere solet. Haec doloris cepha-

lici species refrigerio, terrore, ira etc. re-
pente plerumque excitatur, intermittens, pe-
riodica, pertinax, diurna, cum podagra,
chiragra, omagra etc. vices mutat; ad ve-
speras accessiones paroxysmosque celebrat.
Ubi doloris externus est, velamenta capitis
externa spasmus prehendit, pericranium ad
suturas potissimum dolet; ubi autem intra
calvariam saevit, vertiginem, temulentiam,
soporem aliaque pericula inducit, id quod
metastatici commune est.

b) Dolor capitis *venereus*, syphilitis uni-
versalis, inveteratae symptoma, non rite sa-
natae residuum, sede in osse defixa, noctu
potissimum saevus, terebrat, rodit, cum os-
sis dolentis tumore, carie conjunctus est, non
raro ad faciem protenditur.

c) Dolor capitis *scorbuticus* pariter noctur-
nus, premens, tendens, interdum rheu-
matico simillimus, cum gingivis laxis, san-
guinem plorantibus, haemorrhagia narium,
vires consumente, cute maculis rubris picta
aliisque scorbuti symptomatis conjunctus est.
Is autem a venereo differt in eo, quod qui
syphilitico torquentur, deserto lecto conti-
nuo sat bene valent agilesque sunt: contra
scorbutico laborantium artus peractis demum
quibusdam laboribus exercitiisque agiliores
esse consuerunt; mercurius posteriorem cum
ceteris scorbuti symptomatis nunquam non au-
get, vitamque ipsam summis saepe periculis

exponit : prioris , prudenter adhibitus , levamen atque salutem adfert.

d) Dolor capitis *impetiginosus* plicae polonicae retentae , repulsae ; tineae , scabiei , herpetis , quemadmodum

e) Dolor capitis *exanthematicus* erysipelatis , scarlatinae , variolarum morbillorum ceterorumque exanthematum non rite evolutorum , retrogradorum etc. symptoma saepe diserimine plenum.

Huic ordini quidam dolorem capitis *bradypeptum* et *physconiosum* inserunt , quorum ille periodicus est et plerumque alterutri capitis lateri , fronti , occipiti meridiano potissimum tempore quasi faces admovet ; hic cum infarctibus viscerum abdominalium , stasibus in systemate venae portarum aliisque id genus vitiis conjunctus quamquam non saevissimus sit , pertinax tamen et molestus per integros menses annosque discruciat.

h. Dolor capitis *metallicus* praeparatis plumbi , hydrargyri etc. incautius adhibitis , vaporibus eorumdem spiritu adtractis originem debet , atque anteriorem vel posteriorem capitis partem tendens , premens mentem stupore adscicit , tactu , pressu immutabilis.

4. Distinguuntur tandem quaedam doloris cephalici species , quae cum *vitiis organicis* velamentorum capitis externorum , ossium crani , membranarum , vasorum ipsiusque substantiae cerebri conjunctae sunt . Vitia haec adesse non semper audacter pronunciabis , sed ubi dolor

diuturnus, pertinax vehemensque vomitum, morositatem animi stuporemque in comitatu habuerit, neque alius cujusquam mali ulla symptomata sedulo scrutionio detexeris, cum aliqua probilitate suspicaberis. —

A e t i o l o g i a.

Praemissis igitur doloris capitatis definitione et divisione, quas a modo et ratione, sede et extensione doloris causaeque excitantis diversitate, nec non temporis, quod dolor percurrit, duratione et morbi, quem comitatur sede atque indole repetivimus: in ipsas doloris *causas* nos animum advertere oportet; quum neque morbi cujusquam natura satis intelligi, nisi perspecta illius origine; neque ad morbum imminentem praecavendum aut praesentem levandum tollendumve radicitus, cum fructu certi quidquam agi possit, nisi cognitis momentis, quibus morbus praeparatur et excitatur, atque iis, quibus excitatus sustinetur, exasperatur, cum aliis complicatur, remotis, destructis, mitigatis.

Causas autem doloris capitatis duplices, *disponentes* et *excitantes* esse, quarum priores *in ipso organismo ejusque rationibus internis*, posteriores *in externa rerum natura atque diversis ejus ad organismum humanum vivum relationibus* inveniuntur, ex generalibus cujusque morbi rationibus colligitur.

Est quoque duplex ad dolorem capitatis dispositio *generalis* et *specialis*. De priori illa, quum totam speciem humanam premat, nihil plane, ne-

que de posteriore ad dolorem cephalicum dispositione hic loci multum dici poterit, nisi infiniti esse malimus, quum vix ulla morbi forma reperiatur, cui se dolor capitis non adjungat. — Id tamen statuere licet, quod homines grandi capite, amplo cranio magnoque cerebro, brevi collo, angusto compressoque thorace, molli et tenui cute, tenera muscularum structura, irritabili atque mobili vasorum, praesertim arteriarum, nec non acrius sensiente utriusque ordinis nervorum systemate praeditos natura ipsa ad sanguinis congestiones, caput et cerebrum obruentes, atque ad noxios rerum externarum influxus facilius recipiendos adeoque ad morbos longe plurimos, et quod consequens est, ad dolorem capitis magno opere disposuit.

Causae dolorem capitis excitantes vel *idiopathicæ*, vel *sympathicæ*, vel *symptomaticæ* statuuntur. Idiopathicæ vel *internæ* sunt, vel *externæ*: atque priores iterum origine vel *psychicæ*, vel *somaticæ*; posteriores *mechanicæ*, *chemicæ*, vel *dynamicæ* distinguuntur. Doloris idiopathici causae *internæ* sequentes fere esse consuerunt: studia assidua, praesertim lucubrations protractæ; passiones et animi affectus vehementes; congestiones sanguinis, justo majori adfluxu aut tardiori refluxu cerebri vasa obruentis; serum, lympha, sanguis, pus, ichor intra cranium effusa, inclusa; meninges cum meningibus, cum cerebro concretae; incrassatae; excrescentiae, indurations cerebri ejusque mem-

branarum, abscessus, caries, tophi, exostoses, meningum particulae in massam osseam convergae; vasa meningum aut cerebri extensa, intercepta, ossificata; cranium grandius, minus; frons prominentior, depressior, latior, angustior; bregmeta protrusa, compressa; basis crani prominentiis, concavitatibus justo majoribus minoribusve incongrua etc. *).

Non paucis praeterea valde probabile videtur, sanguinem in sinubus quoque durae meningis in polypos interdum concrescere, quo circuitui humorum obicem ponat, per venas redditum retardet et causam dolori praebeat, in iis praesertim, in quibus vitiata sinuum structura et laxata praeter naturam compages sanguinis motum lentescere sinit, ut fibrosa pars atque ad concrescendum proclivior a reliquis secedat, paullatimque, uti ejus natura fert, compingatur. Ejusmodi polypos do-

*) Hallerus »maximi, inquit,« dolores capitis visi sunt »nasci a cortice cerebri inflammato, a sanguine in cerebro effuso, a fungosa caruncula sub crano; a grumo sanguinis corpus striatum et corpus callosum comprimente, a glandula scirrhosa ad processum falciformem; »a sanguine in ventriculum anteriores congesto; a caleulo pinealis glandulae; a scirrho cerebelli; a duro corpore, quod calloso corpori insidebat; a cerebri labe putrida, aut ichorosa, aut abscessu; a sero in ventriculis stagnante, et cum corrupto cerebro, aut cum tumore scirrhoso conjuncto; a stilo in cerebro latente; a verme in cerebello abscondito; a cerebelli abscessu; a carotidibus osseis et calculosis; a sanguine demum unice per frigidum balneum in caput compulso.«

lori capitis causam praebere, ibi suspicandum arbitrantur, ubi dolor secundum sinuum longitudinem et directionem protenditur. Ab his aliisque vitiis organicis, praesertim a durae matris ejusque appendicum ossea duritie, contumacissimos quosdam capitis dolores atque hemicranias periodicas, quae nulli remedio cedunt, derivari Morgagni suspicatur; quam opinionem aliorum quoque practicorum experientia et anatome cadaverum confirmat.

Causae externae, quae dolorem capitis excitant, sequentes fere assignari possunt: laesiones integumentorum capitis communium, galeae apnevroticae, meningum, cerebri; depresso, fractura, fissura cranii; concussio cerebri; insolatio, calor, frigus, ventus, austrinae constitutiones, repentinae temperiei vicissitudines etc.

Modo *sympathico* causam dolori capitis praebent nimia visus, auditus, olfactus organorum intentio, praecipue ubi stimuli patientia minor: id, quod efficitur continuo intuendis rebus minutis, candidis, lucidis, ubi etiam microscopia in auxilium adhibentur; sonitu acuto, forti; cantando, clamando; odoribus et sternutamentis acribus; ventriculi per cibos, potusque copiosos distentio, acidos, acres, austeros vellicatio, contractio; sordes gastricae, acidum primarum viarum; bilis succus pancreaticus acrior; hepatis inflammatio, infarctus, induratio; sanguinis per systema venae portarum, lymphae per vasa lymphatica laxa, glandulas mesaraicas tumidas pro-

gressus languidus, impeditus, interceptus; intestinorum motus peristalticus iners; intestina stercore onerata, cetera viscera mole et pondere nimio prementia atque liberum sanguinis per eorumdem vasa progressum retardantia; opii ceterorumque narcoticorum, nec non spirituum, aromatum, camphorae abusus; Veneris praematuri, immoderati amplexus, aut turpia eorum imitamenta; pollutiones diurnae, nocturae profusiores etc.

Dolor capitis *symptomaticus* est, qui febres, inflammations, exanthemata, plethoram universalem, et capitis specialem comitatur; sanguinis aliorumque humorum consuetas evacuationes, intermissam venaesectionem in iis, qui ei assuerunt; ulcera incaute exsiccata; scabies, herpetes, tineas, plicas polonicas, erysipelata repulsa etc. consequitur. Constituit praeterea grave interdum hypochondriae, hysteriae, melancholiae, syphilidis inveteratae, arthritidis, scorbuti etc. symptoma. Ut igitur paucos profecto morbos inveneris, quos dolor capitis symptomatus non comitetur, sive ii febriles sint, sive non sint.

Verum enimvero quamquam computatis iis, quae supra de dolore in genere, atque de dolore capitis in specie et, quibus excitatur, causis disseruimus, negare non possimus, dolorem cephalicum plerumque non nisi morbi cujusquam localis, vel universalis, acuti vel chronici symptoma constituere: illud tamen aequa verum est,

hoc symptoma non raro in eum vehementiae gradum efferri, ut omne morbi, quem comitatur, virus atque periculum ad caput conversum esse mentiatur, incautosque ad instituendam therapiam seducat, quae consopito dolore remita constituit, ut jam tuto clandestinus hostis vitae perniciosas insidias struere possit.

Patet igitur, quanto opere enitendum sit, ut quoad ejus fieri potest, adcurata et omnibus numeris absoluta status universi cognitio comparetur; patet etiam, non quemque dolorem illico consopiendum, sed morbum potius, ex quo tamquam fonte scaturiat, eradicandum tollendumque esse.

His tamen effici videri nolumus, dolores nunquam mitigari oportere ante, quam morbum principem sustuleris: saepe enim morbum ipsum continuo adgredi non conceditur; saepius malum diuturnum miseros crudeliter torquet mortales et, quos excitat, doloribus magna saepe vitae pericula ac damnum irreparabile infert, quum dolores fortiorum nisum et renisum vitalem excitantes functionum concentrum atque justum aequilibrium perturbent, debilitatem inducant viresque consumant, digestionem, adsimilationem, sanguificationem, nutritionem etc. a naturae tramite removentes.

Haec praemittenda putavimus antequam ad ea, quae bonum malumve dolori, capitis eventum portendunt, transitum faceremus. Ingrata igitur symptomatum singulis capitis doloribus pro-

priorum repetitione de industria omissa, atque enumeratis quibusdam notis boni et mali praesagii, ad therapiam singularum specierum transibimus.

P r o g n o s i s .

Est dolor *externus* minus periculosus interno idque duplii de causa: primum quod partes tenet, quae natura rudiores noxiis potentissimis validius resistunt, tum quod curatu facilior est. Haec autem contra se habent in dolore capitis *interno*, qui in organis nobilissimis atque tenuerrimis saevit, quorum imperio vix non omnes totius corporis functiones obtemperant, quibusque morbo correptis has quoque turbari prosternique necesse est; tum hoc ipso, quem cum omnibus corporis partibus sustinet, nexu organico et dynamico cerebrum omnium fere totius organismi morborum particeps quodammodo redditur, ideoque dolor capitis tanto periculosior, quanto adfectio primaria gravior. Timendum est praeterea, ne in coecitatem, surditatem, convulsiones, spasmos, insaniam, phrenitidem, epilepsiam, memoriae jacturam, apoplexiā, sphacelismum, abscessum et mortem terminetur. Dolor capitis, qui cadit in homines temperamento *phlegmatico*, habitu corporis *cachectico* et decolore, aetate *senili* aut *puerili*, pituitosus simplex et serosus, diuturnus quidem est, sed minus plerumque periculosus, nisi internas cerebri partes laedat; qui febri acutae superveniens, si cum urina tenui et pellucida, quae prius crassa et sedimentosa fue-

rit, copuletur, spasticas in organismo contractio-
nes obtinere designat, idque malum, item si se-
nescentibus aut ex angina discussa aut citius re-
cedente, repente superveniat; malum etiam, ubi
ex acuto vehementiore mitior statim evadit aut
cessat, nulla evacuatione critica aut imminutione
reliqui morbi praegressa aut succedente. In
dolore capitis *idiopathicō* frequenter *vomere*
praesertim aeruginosa, et cum surditate vigilare
perniciosum putant. Vomitum tum *sympathicum*
patiuntur, tracto in consensum per vagum nervo-
rum par ventriculo atque abdomine. Malum pree-
terea utero gerentibus caput dolere et somno cum
gravitate obrui aut convelli. Id autem a congesto
circa cerebrum sanguine fieri videtur. Dolor ca-
pitis in febre acuta cum pravis aliis notis: sopore,
gravitate, convulsione, alvo affatim prorumpente,
colliquativam puta, virium exsolutione, vocis
defectione et rigore subinde accedente coacarum
praenotionum auctori perniciem portendere ad-
seritur. Idem qui ex rigore, inquit, valde frigent
cum capitis et cervicis dolore, aphonia et tenui
sudore, ii ubi vires resumserint ac se veluti re-
collegerint, moriuntur; ii etiam qui capite dolent
cum levi aliqua surditate, manuum tremore, cer-
vicis dolore, et nigras emittunt urinas ac densas,
si nigra quoque vomitu effuderint, perniciose ha-
bent. Mortiferum demum reputatur, in capitis
dolore quaedam ante faciem obversari, frustra
muscas venari, et festucas legere, et floccos de
vestibus carpere, et de pariete paleas detrahere.

Pus autem, aqua, aut sanguis effluens per nares, aut per os, aut per aures inter boni praesagii signa numerantur; item ulcerum eruptio, interdum et somnus et alvi fluxus, aut sputa crassa, itemque urinae crassae.

Convulsivus capitinis dolor et sympatheticus ex stomacho, utero aliisque partibus plerumque diuturnior est. Qui hemicraniis frequenter obnoxii sunt, saepe aetatis mutatione quam plurimum levantur.

Tandem dolor capitinis periodicus plerumque minus periculosus est, quam continuus, quum posterioris causa, sive in capite sive in alia quapiam dissita corporis parte lateat, continuo praesens, et plasticae et animalis vitae functiones a recto naturae tramite deflectat adeoque diversissimorum malorum uberrimos fontes aperiat. Item quo dolor vehementior, eo affectus gravior: quo vehementiora symptomata, hoc graviora pericula.

T h e r a p i a.

In curatione tandem doloris capitinis praecepit puorum tantum generum rationem habentes rarius ad species singulares descendemus. Quapropter primum *sedi*, quam tenet, tum *cassis*, quibus excitatur et sustinetur, denique *morbis*, quorum symptoma constituit dolor capitinis, eam adaptabimus.

Si igitur dolor capitinis *externus* erit, causae primum excitantis dolorem et sustinentis rationem habere oportebit, eamque, quam primum fieri poterit, removere. *Vulnera secta et caesa uniri et secundum artis regulas conjungi sa-*

narique debent. *Tumor calidus*, frigidus suis quisque remediis discutiendus erit, ut jam epithemata ex aqua frigida simplici, ex aqua frigida et aceto, ex nive, glacie; ex aethere vitriolico; jam ex aqua calida, ex aqua rosarum, florum sambuci etc. applicari debeant; jam serum, sanguis, pus facta incisione evacuari.

Ubi dolor capitis a *plethora* aut sanguinis *congestione*, ab *inflammatione* locali quacumque, aut ab incitatori *febris motu* ortus est, brachii pedisve *venam* majorem incidimus, semper tamen *temperamentum*, aedatem, sexum, vitae genus viriumque rationem respicimus.

In contumaciiori dolore quidam a sectione *venae frontis* aut *jugularis* singulare auxilium pollicentur, alii cum Gesnero et Dolaeo *arteriae temporum* incisionem tamquam usu sibi et experientia comprobata magnopere commendant.

Cucurbitae etiam dorso, scapulis, collo, occipiti utiliter admoventur; item *hirudines* temporibus et pone aures aut naribus, quin etiam haemorrhoidibus, perinaeo, praeserritim in hypochondriacis, aut haemorrhoidum et menstruorum fluxu imminuto aut suppresso laborantibus.

Si quando *catarrhus* aut suppressa *narium haemorrhagia* causam dolori dederit, tum praestantissimum erit, sanguinem *e naribus* evacuare fotu aut *vapore* aquae calidae: quidam et *calamum scriptorium*, in acutam aciem extenuatum et multifariam incisum immitti naribus jubar, ut vasa vulneret.

Interdum *hemicrania*, quae periodice singularis diebus ad statas horas redit abitque, et quibusdam *febris partialis et topica* vocatur, adeo pertinax fuit, ut nisi secta *arteria temporali* abigi potuisse negetur. Aliis tamen plerumque suffecit, post unam alteramve phlebotomiam in plethoricis et diathesi inflammatoria laborantibus *jugularem venam* incidisse, aut, aegri rationibus generosiorem sanguinis evacuationem non admittentibus *hirudines temporibus* adiplicuisse.

Vasis autem sanguine depletis *alvus* medicinis *cathartitis, salinis, refrigerantibus et clysteribus* repetitis vicibus ducenda est, tepidisque *pediluviis* aut *cataplasmatibus*, quae molliunt, aut quae sinapis semina habent atque irritant, sanguinis torrens a capite avertendus: dapibus uberioribus, aromate conditis, vino etiam atque liquoribus spirituosis quibusque cum prudenti ratione abstinendum, utpote quae sanguinem calefaciunt, vasa irritant, circulationem concitant, congestiones, plethorasque provocant.

In curando dolore capitinis *abdominali* causae potissimum occasionalis, et ipsius doloris naturae febrisque comitis rationem habere oportet. — Itaque dolori, qui a pastu, crapula aliisque id genus occupaverit, *jejunio, emesi, alvi ductione* optime medeberis: contra quem digestio, assimilatio languida sustinet, huic decoctum *fabarum coffeae, rhabarbarum, amara, aromatica, chinam, ferrum*; et ubi acidum liberum, sordes rancidæ, putridæ, mucosæ primas vias

stimulo acri vellicantes, aut mole sua sensum obtundentes, motumque peristalticum remorantes causa doloris erunt, *absorbentia, emetica, ec-coprotica* prudenter adhibebis. Miros etiam a potu *aquarum medicatarum* imprimis *acidularum martialium* praesertim in hemicraniis a stomachi imbecillitate oriundis effectus observabis, nec non cum magna spe recuperandae salutis aegrotos hujusmodi aquis lavari jubebis *). Quidam hac mali specie laborantibus datis jejuno ventriculo quovis mane ad octiduum *piperis integrigranis* duodecim et desuper propinato *aque frigidae scypho*, auxilium tulerunt.

In dolore capitis *verminoso* uti convenit iis remediis, quae vermes suo modo adoriuntur, fatigant, debilitant, molestant, occidunt, expellunt et totius corporis, atque praesertim ventriculi, intestinorum ceterorumque organorum digestioni, assimilationi, sanguificationi, nutritioni etc. inservientium dispositionem, generandis vermibus faustam in contrarium convertunt. Quapropter primum medicamenta *anthelmintica* et *purgantia* vel seorsim, vel simul exhibentur, ut vermes defatigati aut enecti e corpore extrudantur; tum *amara, amaro - aromatica, ferrata, aquae martiales, vinum* cum prudenti ratione in usum trahuntur, quibus vitae plasticae calcar et robur additur simulque impeditur, quominus importuni hospites denuo generentur.

*) Carniolos ad aquas Fellanas ceteris faventibus mittes.

Ubi vermes aut insectae bestiolae in caveis narium et sinuum frontalium rodentes, sugentes, vel corpus moventes causa doloris sunt, *vapore humido atque errhinis* inde elici, aut *suffimentis* ex tabaci foliis et camphorae pulvere crematis enecari a medicis practicis jubentur; quidam vel ossis frontis *terebrationem* proposuerunt, quae tamen audacis consilii esse videtur; est enim cum faciei deformatione operationisque et sanationis difficultate conjuncta.

In curando dolore capitis *nervoso* magna semper et prudenti circumspectione et diurna saepe taediorum patientia opus medico est. In hoc igitur genere, quod in aliis numquam admissimus, dolorem ipsum remediis, nimiam nervorum irritabilitatem deprimentibus, sopientibus: *narcoticis* quandoque adgredi poteris, semper tamen de corrigenda diathesi corporis vitiosa, siue ea hereditaria sive acquisita sit, deque removendis causis, nervorum ataxiae faventibus serio cogitabis. Opio autem, laudano liquido Sydenhami, syrupo de meconio et ceteris id genus medicamentis dolorem lenire studebis. Quodsi tamen evenerit, ut quae opium habeant, non bene ferantur, iis substitui poterunt: *acida mineralia* diluta, aether sulphuricus: liquor anodynus mineralis Hoffmanni, elixir acidum Halleri; *emulsa* ex seminibus papaveris albi, aqua destillata ex floribus violarum et papaveris rhoeados, quibus blandam et miram inesse vim anodynam et sedan-

tem practicorum experientia comprobatum habemus.

Quodsi *acidum primarum viarum* viris hypochondriacis aut feminis hysterics capitis dolorem excitaverit, *absorbentia* cum aptis *eccoproticis* et *antispasmodicis* juncta commode praescribes: si *crudus apparatus* in ventriculo et ejus vicinia collectus, sive a vera bile copiosius collecta originem trahat, sive cruda undecumque nata colluvies sit, ansam dolori dederit, primas *tartaro emetico* facile tribues, si a *fri-gore corpori*, in primis pedibus, admisso invaserit, *potus tepidi*, infusa florum sambuci, chamaomillae, acetas ammoniae, pediluvia, balnea tepida, clysteres emollientes, calore et perspiratione cutanea toto corpore aequabiliter fusis, magnum plerumque levamen ferent. —

Illis vero, quae supra de corrigenda *diathesi corporis vitiosa* meminimus, et sapienter ordinato *regimine diaetetico*, et aptis cuique individuo *medicinis* satisfacere conaberis. Quapropter homines, qui desidem vitam agunt, in aëre libero, puro atque sicco, motuque, cui vires corporis pares sint, subinde versari, cibo etiam et potu, quem infirma machina digestoria facile capiat conficiatque, uti jubebis; alvi denique quotidianam, neque tamen profusam evacuationem procurare studebis, quod solo saepe regimine diaetetico consequeris: sin minus, aptis *eccoproticus*, *frictione* abdominis et *cly-*

steribus saepius adplicitis motum intestinorum peristalticum leniter impelles.

Quum in hac doloris specie nimia *nervorum mobilitas*, et magna organorum *vitae plasticæ* inservientium *debilitas*, quarum altera alterius mater et soboles nutrixque, aut utraque ejusdem stirpis gemina propago esse qotest, plerumque, quasi societate sororia junctæ, in aegrorum miserias conspirent: magnum profecto laborem susceperis, si diathesin corporis vitiosam corrigere atque emendare velis. Namque fere contrariis remediis indigent: altera antispasmodicis sopiri se vult, altera tonicis roborari. Quodsi priori indulseris, posteriorem augebis, et si posteriori obediens fueris, anxietates, gastralgias, nauseas, vomitus, tormina, diarrhoeas, tenemos provocabis. Prudenter tamen feceris, si mitigato dolore tonica leviora exhibeas, et ubi haec ipsa non bene cesserint, cum aptis antispasmodicis conjungas. Tandem nihil minus in hoc genere, quam festinationem temeritatemque convenire, et sat celeriter fieri, quidquid frat satis bene, arbitrare.

In dolore capitis *arthritico regulari* febris comitis praecipua ratio haberi ejusque indoli magis vel minus phlogisticae respondens curandi methodus antiphlogistica institui debet: Id tamen magno opere cavendum est; ne immoderatis sanguinis profusionibus alisque evacuationibus organismi vires exhauiantur, aut crises, quas natura intendit, impediantur, interrumpantur, perturbentur.

In dolore capitis *arthritico irregulari*, causam, quae arthritidem a regulari tramite dimovit, cognoscere, atque removere, et materiam dolorificam ad alias, minus nobiles corporis partes, et potissimum ad manuum pedumve articulos, qui propria arthriticorum dolorum sedes sunt, abducere oportet, quemadmodum in dolore capitis exanthematico aut impetiginoso, qui a repulsis, retrogradis aut non rite evolutis efflorescentiis cutaneis invadit, has ipsas efflorescentias provocare, reducere aut simili quodam exanthemate artificiali supplere necesse est.

In dolore capitis *syphilitico* videndum est, utrum luis venereac universalis, inveteratae *symptomæ* sit, an inepte discussae *residuum*, an denique imprudentis therapiae progenies, *morbi mercurialis* comes: id quod non raro difficilem habet distinctionem. Verumtamen ubi decisum erit, dolorem capitis syphilidis universalis symptomæ esse, aegri rationibus non repugnantibus, mercurii usum facies, qui quo facilius feratur salubrioresque effectus edat, cum aliis medicamentis, quorum virtutem salutarem medicorum experientia comprobavit, conjugendus erit; si vero aegri rationes impedimento sint, quo minus continuo hydrargyrum adhibeat, his demum correctis ad syphilidis specificam therapiam transitus fieri poterit. Atque ita syphilide prudenter devicta, ipso dolor capitis tolletur.

Quodsi dolor capitis, syphilidis non apte discussae residuum fit, ad eum profligandum decocta

lignorum sudorifera cum fructu adhiberi poterunt. Haec nonnulli, praesertim si iis additum sit antimonium crudum cum putaminibus nucum viridibus, tanti faciunt, ut iis contumacissimas lues venereas, quae mercurii vim eludant, percurari adseverent. Quod tamen alii non ita tenendum docent, acsi nunquam istiusmodi remedia spem falllerent; verum saepius accidere, ut frustra exhibantur. Quod ubi contingit, et certa luis venerae indicia adsunt, ad hydrargyrum tamquam tutissimum praesidium configiunt.

Ubi tandem dolor capit is *morbi*, qui imprudenti hydrargyri abusu excitatur, *mercurialis* symptoma est, primum omnia, quae curandis cachexiis in genere convenient, tum quibus in hac mali specie singularem virtutem medicatam inesse usu combropatum habemus, sedulo praestanda sunt. Regimine igitur diaetetico et ceteris, quae singulis aegrorum rationibus respondeant, rite ordinatis, sulfur et sulfureta et balnea sulfurata, chloridum calcis, alcalia pura aut acido carbonico impregnata aliaque id genus, quae quasi specificis in hoc genere morbi viribus pollent, tum medicamenta amara, amara aromatica, nutrientia, quae aut sola virtute contrahente aut nutriente simul et excitante, tandem quae peculiari vi, quam habent, antiseptica impediunt, quomodo substantiae organicae in putredinem abeant, acida vegetabilia et mineralia utiliter adhiberi poterunt.

In eo etiam, qui scorbuticorum calamitates auget, dolore capitis, quemadmodum in quocumque alio symptomatico, primum causarum, quae morbum primarium, scorbutum, excitant atque excitatum sustinent, vis nocendi tolli, reprimitum vires corporis jacentes erigi; partibus solidis majus robur, fluidis major vis coagulandi restitui; digestio prava corrigi, emendarique, saburrae evacuari, infarcitus solvi debent. Quibus postulatis bene ordinato animi et corporis regimine et medicamentis, quae stimulus blandus roburque et vis antiseptica commendant, satisfieri poterit. —

Theses defendendae.

1.

Non est arbitraria, neque a theoria pendens erronea, sed propriis organismi vivi rationibus fundata morborum in idiopathicos et sympathicos divisio.

2.

Qui arcanis, ut vocant, universalibus et specificis dolores capitis curant, periculosa vitae insidias parant.

3.

Vaccina et vaccinatio in Styriae, Carinthiae, Carnioliae gente slovenica propriis nominibus carentes, cum variolis et variolarum insitione male confunduntur.

4.

Sunt quaedam genera librorum medico-popularium quandoque utilia et necessaria.

5.

Non videtur semen maris per tubas Fallopianas ad ovaria femellae deferri debere, ut concipiat.

6.

Ab utro parente discriminem sexus generatae prolis dependeat, neque ingeniosissimis theoriis

explicueris, nec arbitrariis artificiis confeceris: adnotatio tamen naturae artis quamdam speciem parere posse videtur.

7.

Castratio canum est certissimum adminiculum hydrophobiam aliaque mala ex his bestiis oriunda praevertendi.

8.

Est igitur dignissima, quae publice imperatur.

9.

Venena in animalia mammalia eodem modo ac in hominem agere probabile est.

10.

Hypothesis, qua statuitur, et quoscumque morbos et quaecumque entozoorum genera inflammatione generari, difficiles habet explicatus.

